

Epiphanius, humilis presbiter sancte Romane ecclesie in titulo sancti Laurentii, subscrispsi.

Marinus, indignus presbiter titulo Apostolos, subscrispsi.

Iohannes, humilis presbiter titulo sancte Prisce, subscrispsi.

Petrus, indignus archidiaconus sancte sedis apostolice, subscrispsi.

Gregorius, indignus et humilis diaconus, subscrispsi.

Musscus, humilis diaconus sancte sedis apostolice, subscrispsi.

Benedictus, indignus diaconus, subscrispsi.

**23. – 731-2. *Gregorio III al vescovo foro giuliese Callisto.***

FONTI: Archivio Stato, Venezia, cod. Trevisaneo, c. 4, n. 4; cod. marc. lat. Zanetti, 400, c. 58; cod. naz. Torino, I, iv, 7.

EDIZ.: Mon. Germ. Hist., *Epist.*, III, 707 sg.; Dandolo, *Cronica*, ed. cit., pag. 113 sg.

Gregorius, episcopus, servus servorum Dei, Callisto etc.

Iam triennium evolutum, decessoris nostri tempore, plurimis fuerat constitutum dilectionem tuam ab hac summa atque apostolica Dei ecclesia pallii promeruisse benedictionem, commonitum te quoque, ut in sanctae nostrae ecclesiae scrineis testantur volumina, fuisse, ne unquam auderes tu vel tui futuri successores aliena invadere iura aut temeritate qualibet illicita perpetrare, sed, ut humiliter utereris tibi concessum pallium, fueras institutus. Merito magis est oneris quam honoris. Nunc vero cognovimus, contra canonum instituta, cuiusdam proterviae ausu temeratorem te extitisse, et valde audita doluimus. Cognovimus enim, quod ita habetur nullus fieri sine murmuratione, quia aviditate devictus ausu illicito pervaseris possessiones, que Centenaria et Misiones nuncupantur, pertinentes monasterio sanctae Dei genitricis sito in insula Barbiana, quod prisco et longo